Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31245
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

bivit. sed peperit in transitu vie in beth-
leem. Potuisset deus de divite matre
nasci. sed noluit. ut pauperes non esse des-
piciendos. ne divitias contra deum appetendas
esse demonstraret. Item longa fuit. quia terrenis
per cupiditatem non adhesit. Unde quidam sunt
pauperes per paupertatem. sed non longi. quia divici-
as concupiscunt. Item alta fuit. quia usque
ad altitudinem summi dei pervenit. ita
quod in visceribus eius dei filium conclusit. Item
directa fuit. quia ipsam altitudo sua in
superbiam non extulit. nec in murmuris que-
rimoniam paupertas deiecit. Item flexibilis
fuit. quod nobis potissime cedit in como-
dum. quia cito exaudit. si debito modo rogetur.
de facili ad preces peccatorum flectitur. Nos
enim non graciles sed sarcinis temporalium
gibbosi admodum cameli qui non potest in-
trare per foramen acus. non longi sed deiecti
conversatione infimo depressi. non alti sed in
temporalibus curvati. non directi sed curva-
ti fetore. murmurantes. in prosperitate su-
perbi. non flexibiles sed rigidi. ita ut delin-
quentibus in nobis dimittere non valeamus.
cum pro inimicis deberemus orare. sed florem
in summitate virge id est christum volumus hac
virgam manu bone operationis ad nos flectere
deberemus. Unde tota die in vanum clama-
re potius. non beate virgini manum por-
rigas bone operationis. Verumtamen vo-
lenti et non valenti voluntas pro facto
reputatur. Manus autem sit pulchra a lu-
to luxurie. et ceteris sordibus abluta. Item
non omnia simul largiri necesse est. sed
paulatim prout facultas suppetit et
necessitas requirit. Melius est pau-
latim expendere. quam post prodigalitatem

pentem. Item tollerabilius est nimis tribuere.
quam post largitatem murmurare.
Propter hanc mulierem dictum est serpenti.
Ponam inimicicias inter te et mulierem.
Sic enim diabolus serpentem intravit et
evam decepit. sic christus mulierem [intravit] et diabolum
deiecit. Et sic diabolus in specie serpenti-
na lignum vetitum ascendit. et hominem
deiecit. sic verbum patris sub carne vir-
ginea crucem ascendit et diabolum ex-
pugnavit. Verumtamen in hoc est differen-
tia. quod filius dei assumpsit carnem virgi-
nis per unionem. diabolus intravit ser-
pentem per quandam vocationem.
De qua in ecclesiastico. Ego mater pulchre
dilectionis et cetera. Bene dicit pulchre dilecti-
onis. alius enim amor mundi et carnis
turpis est. turpissimum enim est stercora am-
plecti. quod faciunt qui mundum diligunt.
Unde Ieremias. Qui nutriebantur in croceis.
amplexati sunt stercora. Plerique enim qui
in croceis sacre scripture et in clau-
strali conversatione nutriuntur. divi-
tias quas paulus stercora appellat. ar-
dentissime amplectuntur. Magnam
habet verecundiam miles indutus
croceis. et strenue armatus. si in fi-
mum cadet. sic miles christi armis virtu-
tum munitus. et ymagine dei insigni-
tus. verecundari debet. cum a mundo
vel a diabolo in fimum divitiarum precipita-
tur. Amor mundi sicut pilus scabio-
si qui vix avellitur. et qui ipsum portat de-
honestatur. Sed multi quia sunt scabiosi. pi-
lum istum desiderant. Item turpis est amor.
cum quis diligit carnem ad gulositatem
vel ad luxuriam. non dico ad servitium dei.